



~~217. 28.~~

EX BIBLIOTH.


NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.


VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.









MECUM GRATIA DEI HODIE

SIT SEMPER QVE

DISPUTATIO LOGICA

DE

PRÆDICABI
LIBUS

QVAM

PRÆSES

M. GEORGIUS DANIEL
HILLISCHERUS

Schmidebergâ · Saxo

ET

RESPONDENS

MICHAEL CZECKELIUS

Schæseburgo Transylvanus

IN AUDITORIO VETERI

Die Martii

Horis antemeridianis

defendent.

WITTEBERGÆ,

Typis JOH. BORCKARDI Acad. Typogr. Excudebat SIMON Sichert
cl. 176 LXXIX.

12

MEGUM GRATA DEL HOE

DISPUTATIO LOGICA

PER ABDICAD

FIBUS

IN THEOPHILIS DANIEL

MILLISCHERUS

RESPONDENS


MICHAEL CEFKEMUS

1771

1771

WITTEBERG





ss(**)ss(**)ss(**)ss(**)

Licet quidem Doctrina de Prædicabilibus maxime sit difficilis, ita ut primo statim intuitu vix intelligi possit nisi assidue ei incumbat aliquis, atque in illa addiscenda optimum fidelissimumque Doctorem habeat, attamen cum multum utilitatis adferat, atque se non tantum ad Prædicamenta extendat, ubi arborem prædicamentalem constituere iuvat, sed etiam ad Propositiones maxime vero affirmativas, ad Syllogismos, Demonstrationem, Definitionem, imo etiam ad Topica & Sophistica, de quibus omnibus consulti meretur Regius in Comment. Log. pt. 1. p. m. 98. propterea proposuimus in presenti, nostrum ingenium in hac difficillima quidem, at & utilissimâ doctrinâ exercere, eamque publice ventilare, quod nostrum Institutum, ut felix faustumque cedat ita præsumur:

Doctorem Doctorem mi Jesu sis mihi præsens
Sic erit in Domino non sine fruge labor.

A 2

S. I. Ue

Num. I.



VT autem Hæc Doctrina melius
faciliusq; intelligi queat, de eij9 Authore pauca
licemus, qvi non est ipse Aristoteles, licet enim
eam non ignoraverit, uti ex ipsis prædicamen-
tis videndum & concludendum facillime,
attamen eam expresse non conscripfit, sed
Porphyrius. Hic a. uti Historici probatissimi referunt, seculo
tertio post Christum natum vixit, circa tempora Aureliani &
Diocleriani Imperatorum, fuit natione Phœnix, Tyrum vero
agnovit Patriam, & Studiis incubuit Athenis & sub informa-
tione Plotini insignis Philosophi Platonici Sectatorem Philoso-
phiæ Platonice præbuit se strenuam. Edidit aliquot contra fidem
orthodoxam scripta, quibus confutandis, multum temporis
atque diligentie impenderunt Patres illi Sanctissimi Hierony-
mus & Augustinus, quorum scripta, quæ adhuc hodie extant
hæc de re clara perhibere possunt testimonia. Ille autem tracta-
tus, quo Doctrinam Prædicabilium conscriptam post se reliquit,
nec Platonice Philosophiæ, nec Hæresis nec Genitissimi quicquã
in se comprehendit, sed plane Peripateticus dicendus est, unde
& Ecclesia ut ubiqve publicis in Scholis ante Aristotelis Lo-
gicam interpretaretur, concessit liberrime. Propositum suum,
quod habebat, in eo consistebat, ut ea, quæ in Aristotele obscura
atque tricata valdè videbantur, discuteret, telas retexeret, quo
eò facilius totam ad Philosophiam Auditores introducerentur.
Ut a. animum ad hunc tractatum conscribendum impelleret,
Auditor ejus diligentissimus, Chrysorius, Adolescens nobili
oriundus genere, eum permovet; Hic n. cum absente Porphy-
rio Libros Prædicamentorum Aristotelis perlegendos sibi pro-
pulsisset, ibi vero Gen- rum, Specierum, Differentiarumqve
menti fiebat. ea autem satis intelligere non poterat, petiit jã
Porphyrio, ut hunc el h rarer librum. Hæc occasione arce-
pta, hunc conscripsit tractatum, nomenqve *Isagoges* live *Introdu-*
tionis

ditioni ei imposuit, & quidem eam ab causam, quia introductio esse possit, vel in Prædicamenta Aristotelica, vel in Logicam ipsam, vel etiam in universam Philosophiam. Sequioribus autem Seculis Neotericihunc Tractatum alio cœperunt nominare nomine, atque hanc fecerunt Inscriptionem: *De quinque Universalibus, item de Quinq; Prædicabilibus quæ Inscriptiones in idem fere incidunt.* Conf. Tolet. Comment. in Log. Art. p. m. 19. 20. Casus in Dial. p. m. 65. Reg. l. & p. cit.

Num. H.

Vox Prædicabile vero descendit à Prædicando, quia ad plura prædicari habet aptitudinem, pleraque enim Adjectiva Verbalia in *BILIS* exeuntia, facultatem aliquid peragendi notant. Synonymum ejus est universale, quod quoad nomen suum idem importat, quàm unum versus alia, id est, unum ad multum pertinens. Dicitur etiam *κατηγορούμενα* item *κατηγορούμενα*, à Verbo *κατηγορεῖσθαι*, quod h. l. idem est quod affirmative de aliquo dici. Nam licet hoc verbum *κατηγορεῖσθαι* apud Aristotelem non tantum affirmari sed etiam negari est, uti ex 1 Prior. c. 1 §. 7. c. 4 §. 2 & c. 5 §. 2. apparet, ubi in primo loco terminos Propositionis dicit esse τὸ *κατηγορούμενον* prædicatum, καὶ τὸ *κατ' ἑκατέ* *κατηγορεῖσθαι* subjectum, at Propositionis universalis ut & affirmantem & negantem continet, termini constituuntur hic loci. In reliquis v. demonstratur, Medium in secunda Figura *κατηγορεῖσθαι* de utroque extremorum: in Tertia *κατηγορεῖσθαι* de Medio. At omnibus & Tyronibus notum est, in omnibus Figuræ Secundæ Modis Medium de altero Extremorum negari in quibusdam vero Tertiæ, Majus extremum de Medio negari. Et licet recte etiam pronuncio Johannes non est Petrus, Paulus non est Lapis, Homo non est Bos, attamen quia vox *κατηγορεῖσθαι* frequentius affirmative usurpata legitur apud Aristotelem, h. l. tantum affirmative exponimus. Loca, in quibus affirmative offertur, potiora hæc sunt l. 4. Top. c. 1. §. 2. & 7. c. 11. §. 4. 1 Post. tit. 148. ut reliqua non adducamus.

A ;

Acce.

Accedit & hoc, quod Propositio *κατηγορικὴ* Aristoteli non sit
idem, quod communiter Logicis est, nempe Categoricalis sive
simplex, quæ & negantem comprehendat & affirmantem, sed
quod *κατηγορικὴ* simplex affirmans. Unde etiam adductæ
Enunciationes pro veris ac genuinis Synonymicis Prædicatio-
nibus non agnoscimus. Confer. ex parte Stahl. in QQ Log. p. 46.
Cæterum Prædicabilia alio vocantur nomine apud Aristotelem
κατηγορίαι h. e. prædicamenta, 1. Post. 16. & 1. Top. 7. item
συνοχίας, h. e. Elementorum Series. 1. Post. 11. Vid. Fonser. in
Instis. Log. p. m. 59.

Num. III.

Sumitur a. Vox *Prædicabile* potissimum bifariam (1) prop-
riissime, in quo sensu illa prædicabilia dicuntur, quæ re ipsa
prædicari possunt. (2) minus proprie prædicabilia dicuntur so-
lummodo Classes sive Tituli sive Differentiæ, sive ordines eo-
rum, quæ prædicari possunt, scilicet Universalium, ita ut ipsa
non prædicantur sed tantum contineant ea, quæ prædicari posse-
runt. Quo in sensu Philippus & omnes ferè Philosophi Voca-
bulum *Prædicabilia* acceperunt in Logicis. Conf. Hipp. in Pro-
blem. Log. p. m. 98. Sic & *Universale* aliud est *complexum*, aliud
vero *in complexum*, *Illud* dicitur aliquod commune effatum, un-
de plura colliguntur, ut v. gr. O. Totum est majus sua parte, vel
Propositio Universalis à particulari & indefinita distincta, ut
quando inferam: Omnis Flamma lucet, & sic de Universalis-
sermo est, 1. Prior. c. 1. unde & *Universale* prioristicum audit,
vel Propositio, cujus Prædicatum Subjecto omni per se & qua-
tenus est ipsum, competit, in quo sensu de Universalis agitur in
1. Post. 4. unde & *Universale* posterioristicum appellatur,
tale est; Homo est Animal rationale, Albedo est
Color visui disgregativus. *Hoc* (*Incomplexum*) vero, quod
alio nomine & simplex appellatur, est quod unicum parit con-
ceptum in mente, vel unum quid ad multa pertinens. Estq; aliud
vel *in causando*, quod cum aliis causis diversis diversos potest
producere effectus, alio nomine dicitur causa universalis, quæ

ad

ad unum specie effectum producendum determinare non potest, sed varios specie effectus producere juvat: Ut Deus, Sol. Et licet quidem Sol respectu illuminationis & Lucis Universale in causando dici non potest, attamen optime respectu Hominis & Leonis hoc nomen admittit. *Vel in significando*, quod est vox, quæ rem universalem significat, ut vox Homo sive voce prolata, sive scripta, sive mente efformata: Hoc n. nomine non Aristoteles aut Philippus tantum, sed communis Hominum Natura, & sub ea omnes omnino Homines comprehenduntur. Nonnulli [uti David Derodon in Operib. Philos. pag. 152. perhibet] huic Universali adscribunt etiam vocem ambiguum & æquivocam, quæ variis modis accipi potest, v. gr. Manus, Gallus Ciconia. *Vel in Essendo*, quod est Natura in pluribus existens, ut Humanitas in Petro, Paulo. *Vel in predicando*, quod potest prædicari de multis, ut Homo de Petro, & Equus de Bucephalo &c. Hic loci tantum Universale in Prædicando & aliquo modo etiam in Essendo intellectum volumus. Universalia enim in Causando & Significando non sunt Universalia in se, sed tantum ratione objecti Causati & Significati Conf. Derodon l. c. Colleg. Conimbric. p. 79. Stahl. in QQ. Log. p. 44. Bechmann. in L. g.

Num. IV.

De Sede Horum Prædicabilium inter Philosophos hucusque vehementer disceptatum fuit, anne pertineant ad Logicam, an vero non? si prius, amplius quærent, ubi nam Locorum sint ponenda & tractanda, an præcedere debeant Prædicamentis ipsis, an vero post illa locanda sint? Prius qui negare ausi sunt, hanc adducunt rationem, quia nempe Prædicabilia sive uti alio dicuntur nomine, Universalia ad Metaphysicam & Physicam spectent; sed hoc nihil efficere possunt. Totum enim concedere possumus, quod Universalia eodem modo quo in Metaphysica pertractantur in Logicis explicanda non sint. Et etsi etiam in Physicis agitur de Universalibus, tamen
ibid

ibi Res ipsæ per Nomen Universalis denotatæ exhibentur. Deinde nec absurdum dici potest, si una eademque res diverso tamen respectu in pluribus disciplinis tractetur. Sic in Logica agitur de Homine, quatenus scilicet Notionibus secundis substat, & quasi est Species, in Metaphysicis quatenus est Ens, in Theologia quatenus ad salutem æternam est perducendus, in Medicina quatenus est sanandus, & talem quoque conditionem habet cum Universalibus, alio enim modo in Logicis, alio vero in cæteris Disciplinis realibus pertractantur, ibi ut Rationale, hinc ut reale: Ibi, quatenus ad ordinem Prædicamentorum confert, hinc vero, quatenus communem ipsam Naturam, cujus cognitionem petimur, designat. Vid. Reg. l. i. p. 112. Cujus l. 3. pag. m. 68.

Num. V.

Evicto jam Prædicabilia jure ad Logicam pertinere, porro inquirendum erit, anne præ an vero post Prædicamenta locum obtinere debeant? Crellius, Keckermannus, aliique cum eo defenderunt, quod sint postponenda Prædicamentis, at in eo valde errant, licet enim negare non potest, Primas notiones naturæ priores esse secundis, siquidem hic in illis formantur, at tamen inde non sequitur, quod propterea Prædicamenta ante Prædicabilia sint ponenda, ordo enim non Naturæ sed Doctrinæ postulat, ut hæc illis præmittamus, quapropter recte & jure optimo ab istorum sententia recedimus, cum etiam eum in finem à Porphyrio conscripta sunt Prædicabilia, ut Prædicamentorum cognitioni inservirent, unde & eis Nomen Introductionis ad Logicam imposuit. Sine Prædicabilibus enim nemo facile assequi atque intelligere posset, quidnam sint Notiones Secundæ? quomodo Primis illæ sint accommodandæ, si in Prædicamentis collocarentur. Conf. Höpffner. in Comment. in Vet. Log. in Isag. Porph. p. 6. seq.

Num. VI.

Numerus autem Horum Prædicabilium multifarius à Philosophis statuitur. Inveniuntur enim plurimi qui in defectu, & haud

haud pauci qui in excessu peccant. Illi, qui in defectu
Prædicabilium Numero aberrant, adducunt Locum ex
g. Top. c. 4. ubi Philosophus quatuor solummodo Prædica-
torum mentionem facit, τῶ ὀρίσμων, τῶ γενου, τῶ ἰδιῶ, καὶ
τῶ συμβεβηότος, sed quod hoc nihil in se habeat, & Tyrō
Logices agnoscere potest. In Thesi n. 2. statim mentem ex-
plicavimus nostram, quod hic loci non de Prædicatis, sed
de Prædicabilibus agatur. Unde facile quis elicere potest,
Prædicata & Prædicabilia confundenda non esse, quod ta-
men Adversarii faciunt, siquidem in adducto loco Aristo-
teles divisionem tradit non Prædicabilium sed Prædicatorum;
Agitur enim ibi de iis Universalibus, quæ jam actu in Logicis
prædicantur. Cum E. Species ultima, quæ Individuis est pro-
xima, in Logicis semper subjicitur, Subjectum est, non vero
Prædicatum. Unde & Aristotelem in Topicis non simpli-
cem probandi modum respexisse, sed ipsam potius Proba-
tionem facile apparet, dum ea omnia conjungit, quæ ea-
dem confirmationis Loca possident, quod non tantum cap.
4. testari potest, ubi differentiam Genericam ad Genus
refert; sed etiam capita sequentia, uti comparata ad Acci-
dens, Idem & Diversum ad Definitionem transfertur, quia
juxta effatum Philosophi eandem postulant Methodum.
Hinc elucescit, Differentiam eam ob causam in enumera-
tione Prædicatorum omitti, quia Generica ad Genus, Specifi-
ca verò ad Definitionem referenda est. Conf. Hippus in
Probl Log. pag. m. 69. Deinde inter illos qui in defectu di-
scedunt à genuino Prædicabilium Numero, quidam duo tan-
tum Prædicabilia statuunt, quia omne quod prædicatur,
prædicetur aut essentialiter aut extraessentialiter. Sed hic
loci distinguendum est inter prædicandi modos generalio-
res & specialiores; Illos tantum duos esse facile admittere
possumus, nempe Essentialis & Extraessentialis. Hos autem
plures esse, infra audiemus. Essentialis n. quasi tres agnoscit
Species, Extraessentialis vero binas.

B,

Num.

Num. VII.

Mitto & eos, qui in Defectu aberrant, etiam Eorum videbimus Hypotheses, rationesque examinabimus qui in Excessu decedant. Ubi inuenimus, Nonnullos fuisse, qui Decem defenderunt Prædicabilia, Nam quis Decem ventilantur Prædicamenta, hæc autem omnia Prædicabilia sive Universalia sunt, hinc necessario fluere putant, quod etiam decem sint Prædicabilia. Attamen hanc Probationem nihil in recessu habere quilibet videt, qualis enim est consequentia? Decem sunt Prædicamenta, E. Decem etiam sint Prædicabilia; Nonne omnia Prædicamenta sub unico Prædicabili, nempe sub Genere continentur. Et licet etiam præter hoc, quod jam adduximus & illud urgere solent, quod nempe Definitio ab Aristotele Prædicabilibus annumeretur, nec tamen sub ullo alio Prædicabilium contineatur, inde sequeretur, plura quam quinq; esse Prædicabilia. Sed ad hoc respondere solent Logici, distinguendo inter Prædicabile complexum & incomplexum, dicunt: Definitionem quidem esse Prædicabile, sed non incomplexum, de quo tamen hic agitur, sed complexum. Ultimâ vice, quoad attinet Differentiam, concedimus quidem aliter prædicari posse genericam, aliter specificam, attamen adhuc videre non possumus, quomodo hæc distinctio Differentiæ inter Genericam & Specificam duplex Prædicabile constituere posset. Cæteras Objectiones, Brevitatis ergo, non adducemus, sed usque ad actum disputatorium publicum differemus.

Num VIII.

Remotis nunc Falsarum Opinionum Hypothesibus, & nostram subjungemus sententiam, statimus ergo cum Præceptoribus nostris sanctè devenerandis: *Quinq; tantum esse Prædicabilia.* Hunc Numerum *Quinarium* ut demonstrarent Logici, varias atq; varias sœvent sententias, Johan-



nes Ec cius docente Regio l. c. p. m. 168. demonstrare aude,
partim à Priori, partim à Posteriori. A Priori per modos
in essendi vel essendi: Omne enim Universale est significa-
tivum plurium vel absolute vel connotative. Si absolute
tunc omnia essentialiter vel non sunt similia, & sic Genus
constituitur; vel sunt similia & sic Species constituitur. Si
connotative prædicatur, vel connotat intrinsece sive essen-
tiale & oritur Differentia; vel extrinsece, quod vel emanat ex
principio interno, & oritur Proprium; vel emanat ex Prin-
cipio externo, & oritur Accidens. A Posteriori verò de-
monstrat per ipsam Prædicationem, quæ rationem essendi
consequitur. Omne Prædicabile de Pluribus prædicatur
aut essentialiter aut accidentaliter, tunc vel *quidditative*
dicitur de pluribus vel differentibus Specie, & sic Genus;
vel differentibus numero, & sic Species oritur: vel dicitur
qualitative essentialiter, & sic Differentia oritur: si acciden-
taliter, tunc vel convertibiliter dicitur cum suo Subiecto, &
sic Proprium, vel contingenter & non convertibiliter, &
inde Accidens suam trahit Originem. Scotus vero qu. 12.
c. Hornejo in Instit. Logicis pag. 47. tres probandi modos
posuit. Quorum Prior hic erit: Universale vel significat
Substantiam vel Accidens: Si Substantiam, vel totum,
vel partem ejus, si partem, vel materialem & sic est Genus,
vel formalem, & sic est Differentia, vel totam denique
Substantiam, & sic est Species: Hæc enim totum esse Indi-
viduorum dicit. Si Accidens, jam vel convertibile, & est
Proprium, vel non convertibile, & est Accidens. Secundus
autem probandi modus mutuatus est ex coordinatione Uni-
versalium in Prædicamentis: Inveniuntur enim, quæ sunt
vel in uno eodemque vel in diverso Prædicamento. Si
sunt in uno eodemque Prædicamento, tunc vel directe po-
nitur unum supra alterum, & est Genus; vel unum infra
alterum, & est Species, vel denique ordo indirectus, & tunc
emergit Differentia. Si autem non sunt in eodem Præ-

B 2

dica;

dicamento, sed unum in Prædicamento Substantiæ, alie-
rum Accidentis, tunc vel Accidens convertitur cum Sub-
stantia, & est Proprium: vel non convertitur & est Prædi-
catio Accidentalit. Tertium sive ultimum probandi mo-
dum quem adducit, petit ex Prædicatione in QUID & in
QUALE, & eum ita vult intellectum; Omnis Prædicatio
primo dividitur in Prædicationem Quid & Prædicatio-
nem Qvale. Quicquid nunc Prædicatur in Quid, illud
prædicat essentiam Subjecti per modum substantis, &
non denominantis, idque fit dupliciter, vel ut totam essen-
tiam Subjecti denotet, & est Species, vel ut partem, & est
Genus. Quicquid aut prædicatur in Qvale, id effertur ad
modum denominantis, & rursus vel denotat Qvale quid
substantiale sive essenziale, ut differentias, sive extra essen-
tiale idque iterum vel convertibile cum Subjecto, estque
Proprium, vel non convertibile, & est Accidens commu-
ne. Inter quos probandi modos cum Sarezio disput. Metaph.
sect. 8. n. 7. primum optimum censemus. Et licet quidem
variis ex Authoribus variæ adduci possint Probationes,
v. gr. ex Tolero, qui quinarium hunc Numerum prolixissi-
me probavit, aliisque, nos tamen, ut brevitati studeamus,
cum Excellentissimo Dno. Walthero in Controversiis Logi-
cis MSS. hoc unico probamus Argumento.

Quæcunque Divisio totum exhaust Divisum illa est
Legitima.

Atque Hæc Divisio, quo Prædicabile dividitur in Ge-
nus, Species, Differentia, Proprium & Accidens, totum
exhaust divisum.

E. est Legitima. Major Probatione ampliori non
indiget. Minorem vero ipsa probatam relinquimus;
Quicquid de malis prædicatur, illud aut est ips quicquid
essentia

essentiale aut extraessentiale. Si est essentiale, aut dicit
totam essentiam, sic est Species infima, hæc enim sola ita
prædicatur de pluribus, ut totam eorum contineat essen-
tiam aut dicit partem tantum quandam ejus de quo
dicitur, quod duobus iterum modis fieri potest, vel
enim dicit partem materialem, & sic est Genus, aut
formalem, & sic oritur Differentia specifica. Quod si
autem est extra essentiam, tunc cum illo connectitur ne-
cessario, unde emanat Proprium, vel contingenter, & sic est
Accidens commune.

Num. IX.

Cæterum an hæc Divisio sit Generis in suas Species,
hoc est, an Prædicabile vel Universale cum Genus de Ge-
nere, Specie, Differentiâ, Proprio & Accidente prædica-
tur? inter veteriores Logicos valde disceptatum fuit.
Multi enim sunt qui negativam defenderunt, ut Boëtius,
Ammonius, Avicenna, Simplicius aliique, & potissimis
his usi sunt rationibus, quia Universale non æqualiter ab
omnibus participatur Speciebus. E verum Genus dici
non potest. Antecedens potro inde probant, Essentia
n. Universalis, dicunt, consistit in eo, ut pluribus inest,
sed Genus pluribus inest quam Species, E. magis parti-
cipat de essentia Universalis. Deinde ita argumen-
tari solent: Si Universale esset Genus, sequeretur
quod quoddam Genus sub sua contineatur Specie, &
sub seipso, sed hoc est absurdum. E. & illud. Præ-
terea rursus probant, quia genus de omnibus prædicetur na-
turis genericis. E. etiam de Universalis prædicatur, tan-
quam de parte sibi subiecta, si & hoc esset Genus. Cum
autem id, quod sub specie comprehendatur, necessario
sub Genere ejusdem collocetur speciei: Universale

B § vero

verò dicatur Genus respectu Generis, sequitur inde, ut
subjiciatur sibi metipso. Cetera argumenta videri pos-
sunt apud Conimbricenses pag. 705. a. Qui vero affirma-
tivam tenere videntur. Verum enim vero ut huius
Contrversæ nos immisceamus, necesse non habemus,
notum enim omnibus, qui Studio Philosophico & Logico
in Academiâ incubuerunt nostrâ, quod multo aliter Prædi-
cabilia in Scholis Logicis proponuntur, quam in vulgari-
bus extant Libellis Logicis. Plurimi enim cum Noldio
æ ad Terminos Synonymicos & Paronymicos referunt, &
in definitione eorum loco Universalis ponunt vel Termi-
num Synonymicum vel Paronymicum, vel etiam absolute
Paronymum & Synonymum. Quod & ipse Saurius in Syn-
tagmate suo Logico observavit, qui in Definitione Generis,
Speciei & Differentiæ adhibuit vocem Synonymi, hancque
pro Genere ventitat, in Definitione vero Proprii & Acci-
dentis vocem Paronymi intellectam vult, quod ex con-
trariò facile patet.

Num. X.

Et Licet quidem multæ adhuc moveri possunt quæ-
stiones, an hæc Divisio sit mediata an vero immedia-
ta? & an Prædicabilia extra mentem an vero intra
mentem existant? Et multo plures, attamen ut Legibus Aca-
demie receptis nostram præbeamus observantiam, hæc
omnia pro nunc mittimus, & ultima vice hæc paucis ex-
plicare volumus controversiam, annon & DEUS ipsis
Prædicabilibus accensere possit? Ut hæc ergo quæ-
stionem eò feliciter decidere valeamus, hæc tantum an-
tea monere volumus, quod quidem Deus interdum Con-
ceptum latiore admittat, ut quando sub Ente conside-
ratur, nunquam tamen Genus in rigore acceptum
agnoscat.

agnoscat. Deinde licet concedamus analogice & tran-
scendentaliter Numerum de personis dici posse divinis, ne-
gamus tamen quod predicamentaliter intellectus & proprie-
tatis in Deum cadat, alias enim & Quantitas in DE Olo-
cum haberet, quod tamen absurdum. Hisce præmissis
questionem prolatam ita divellimus; Deus neque est
Genus neque Species. Non illud, quia multiplicari
non potest per aliquas Species, sic enim multa essent In-
finita, quod ἀφίλοσοφον est. Non illud, quia nullum
agnoscit Genus, nec plura sub se continet, hoc enim
modo plures essent Dii qui essentialiter à se differant,
quod ἀθεολογον est. Nam ut aliquid sit dicaturque Uni-
versale, necesse ei est non tantum Unitas & Communitas,
quæ certo sensu in Deo admitti possent, sed etiam mul-
tiplicatio in inferioribus. Eam vero in Deo dari absur-
dissimum est, & suæ unitati & singularitati oppido con-
trariatur. Instas. At Deus immediate plura continet Indi-
vidua, E Deus est Species, Resp. Negando Deum plura con-
tinere Individua Logica, quia ad illa requiritur, ut ha-
beant diversas numero essentias, quod tamen de Perso-
nis Divinis dici non potest. Excipies. At Personæ
SS. Trinitatis sæpissime numero differre dicuntur, E da-
bitur aliqua Species, de qua participant Resp. Numero
differre dicitur dupliciter (1) generaliter de illis, quæ enu-
meratione tantum differunt, sive, quibus applicari possunt
nomina numeralia, ut Unum, Duo, Tria, hoc quidem
sensu facillime concedere possumus, Personas SS. Trinica-
tis numero differre (2) specialiter, uti in Logicis explicatur,
ubi tenendum venit, quod omnia illa quæ differunt numero
differunt & essentia singulari. Sic Petrus, Paulus, Johannes,
differunt numero, qui licet eandem habeant essentiam spe-
cificam, at tamen essentia differunt singulari, ita ut alia nu-
mero essentia sit in Petro, alia in Johanne, quod de SS. Tri-
nitatis Personis dici nequit.

Et Hæc sunt, *Lector Benevole*, quæ
Tibi hæc vice de Prædicabilibus sistere vo-
lui, in quorum Elaboratione si non sem-
per Scopum attigerim, mihi ignoscas,
feci enim quantum potui, si non tantum
potui quantum volui. Neque inique
judices, quod Logicam elaboraverim Ma-
teriam, siquidem cum ita mihi visum fue-
rit, nec tibi ingratum fore credo; Præser-
tim cum post Logica videbis Theologica.
Vale interea, Tuoq; Deditissimo
Fave.

Maxima Gloria Deo Honorqve

Sit Summus.



Ung. VI 50

ULB Halle 3
004 186 672




f
56.

VD 17.

Juni 2000 U,







MECUM GRATIA DEI HODIE
SIT SEMPER QVE
DISPUTATIO LOGICA
DE
PRÆDICABI
LIBUS
QVAM
PRÆSES
M. GEORGIUS DANIEL
HILLISCHERUS
Schmidebergâ · saxo
ET
RESPONDENS
MICHAEL CZECKELIUS
Schæseburgo Transylvanus
IN AUDITORIO VETERI
Die Martii
Horis antemeridianis
defendent.

WITTEBERGÆ,
Typis JOH. BORCKARDI Acad. Typogr. Excudebat SIMON Sischerhirt.
cl. 176 LXXIX.

14

111 3006

